



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

17. Vlciscitur Deus Ataidis scelus, vt à Xauerio prædictum fuerat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

luto, improba, insolens, herilis gratiæ ambitu aduersus eum quem herus oderat gaudens impudentior videri. Tradunt qui tunc rebus præsentibus aderant, non potuisse sanctum domo pedem efferre, quin manipulum haberet obuium aulicæ eius focis, à quibus incessebatur fœdus, atque indignius quam postremus è stabulis agaso; falsusque est Francisco Perez Xauerius, annis decem quos in India egerat, nunquam se tam dira, nec inter Ethnicos, & Barbaros passum. Lugere ad hæc omnes boni, præsertim ciues; nemo iis ora occludere, seu pro commerito dentes excutere, ne domini quoque in se odia verterent: Xauerius quod se, hoc est sanctum, decebat pati, & perpeti ferens; vultuque ut animo tranquillus, sed Ataidis exitio dolens, sibi que irascens, peccatis suis infelicitatem legationis eius tribuere, quæ tantum gloriæ Deo, tantum Sinis bonorum fuisset allatura. Digna est exscribi epistola, quam is Malacæ conscensurus ad Iacobum Perciram carissimum suum saluatoriam, & vltimam dedit, cum amplexu absentis, quem vetabat dolor præsentis ferre. [Postquam, ait, meorum grauitas scelerum id egit, vt Deus nostram in Sinas respiceret operam; non video aliud superesse, nisi vt omnem in me, ac mea peccata culpam coniciam, tot ac tam immania, vt mihi non vni, sed per me tibi, rei tuæ, & tuis sumptibus in legatione paranda effusis nocuerint. Nouit attamen Deus qua mente erga se, qua erga te fuerim, quæ nisi fuisset rectissima, dolore profecto non consolabili torquerer. Recipio me in nauim, vt tuos socios deuitem, qui me requirunt vndique, & sæpe inuento coram flent, conclamantque; nisi deret transitus, se periisse. Parcat Deus tantæ ruina auctori. Vnum te obsecro, ne ad me conuenias, tua enim clade necesse est, meus vehementius ingrauescat dolor. Confido nihilominus, iacturam hanc, tibi lucro verulam, Regemque (quod eum per literas rogavi) certò repositurum condigna præmia, tuæ illi ad religionem propagandam propensæ liberalitati. Præfecto qui tantum iterum exeruit, vt profectorem Christianitati tam necessariam transuersus sisteret, vale vltimum dixi. Calamitatibus doleo, quas luiturus est, multo quàm sibi, fingat sauiores. Deus te seruet incolumem, sitque mihi in hoc itinere dux, & comes. Amen.]

Quamuis autem commendatitias ad Regem pro Percira scripsisset literas, at de Ataide penitus siluit, iisque Ataidis fraude interceptis, & magna diligentia perlectis, nec verbum contra se accusationis, ac ne querulum quidem de se deprehendit. Quid si scisset illum quotidie, Deo pro se ad aram facere, si prece assidua, multisque lacrymis, saniores sibi cogitationes, & sui liquido sceleris conscias ab eo flagitare? mutasset opinor, si minus animum, saltem impiam linguam, qua illum pro simulatore sanctitatis, & falsario infamarat. Sed Deus hoc beneficio indignum censuit, maluitque illatas seruo suo iniurias vlcisci, quàm illas eius precibus donare, quod doctus diuinitus prænuntiavit Xauerius, nimirum Ataidem Magistratus sui tempus legitimum minimè expleturum, sed ea

17

Vlciscitur  
Deus Ataidis  
scelus, vti  
Xauerio præ-  
dictum fuerat.

honoris, fortunarum, & corporis feriendum clade qua foret posteris monumentum infamiae, & ostentum terroris. Quibus suum hoc subditi-  
pium votum, sed metus grauiissimi suspectum, atque vtinam, ait, Deus  
illi animam saluam praestet. Vaticinium nimis verax secuta est calamitas  
multiplex; ab Alfonso Prorege, Praefectura motus Ataiides nondum cla-  
pso biennio, vinculusque Malaca Goam delatus est, inde in Lusitaniam,  
vbi bonis omnibus in situm redactis, addictus est perpetuo carceri; sensit  
quoque vltoris aequissimi duram manum, lepra insanabili deformatus,  
quae illum ab India vsque ad obitum pertinaciter arrost. Obitum vero tra-  
dunt fuisse improuisum, ex foedissimo vlcere, quo tanta graueolentia pu-  
trefactae carnes abscesserant, vt feruorum nemini duraret stomachus, vel  
purganti plagam, vel propius ad eum accedenti. Naue[m] interea Pereira  
raptam cum mercibus, magna huius, nec fera ignarus vindicta obtinuit,  
ducem illi praefecit; nautas quinque & viginti suos imposuit; eamque  
in Sinas ad negotium misit.

18

Vice versa  
cuetur Perei-  
ram, quod ite  
praedix. Xauer.

Sed hanc Pereira iacturam, suis nominibus, ac rationibus impurauit  
Deus, coepitque iam tum eius foenus ei persolueret, sortem illic in caelo  
impressa largitate integram redditurus; nam qui ex Sinis Malacam re-  
deunti, pridem licet obscure clades praedixerat, quibus disturbata est ea  
legatio; idem nunc illum praemonuit vir sanctus, quam liberaliter ipsi  
Rex pensaturus esset damna quae fecerat, accessione scilicet maioris apud  
se gratiae, dignisque seruo fideli praemiis. Imo cum sint fortuna mercatorum,  
praesertim maritimae adeo fragiles, vt mane locupletes, non raro  
sub vesperam mendicent; amici aduersa longe prospectans Xaverius, se-  
curum esse iussit, nec sibi, nec filiis, defutura vnquam vitae subsidia, cui  
nisi fidem fecisset miraculum, non tam euidenter praedictum caelitus pu-  
taretur. Filium Pereira reliquit moriens Franciscum nomine; mer-  
caturam item dum res staret, hic fecit, sed eo denique variis calamitati-  
bus deuenit, vt ei aliquando eiusque familiae, nec panis, nec vnde coe-  
meret obolus adesset; huic ergo tunc Deum, suo e penu coenam videre  
oportuit. Angelum, vti creditum est, iuuenis specie, ad eum misit, qui  
panem circumferebat cum pomis, caeterumque comestum escarum  
copiosum; vocat praetereuntem Pereira, emit ex eo quibus indigebat, &  
quod in promptu argentum deesset, pignori vestem vxoris obicit; negat  
iuuenis pignore opus esse; plus apud se habere fidei eius verba quam  
pignus, libere modo ac largiter ab se sumeret quantum vellet, de pretio  
ne esset sollicitus, quae tam humaniter, tam officiosa dicebat venustate, vt  
esse alium ab eo quem assumulabat facile appareret; ipseque Pereira cum  
vxore facile agnouit, cum eorum quae venalia tulerat magna parte  
relicta, videri desit, nec vsquam praeterea, licet vrbe quaesitus ap-  
paruit.

19

Malaca Xau.  
deserit.

Malaca demum priusquam recederet vir sanctus, suos dedit Iaponiae  
focios, Bungenfi Regi Baltazarem Gagum; Siluam, & Alcazeuam Aman-  
guccio; Ioannem, Beiram qui de Molucensium christianitate laetissima ei at-  
tulit.